



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

XLIII. An Iudex Ecclesiasticus obligatus sit in hac cognitione stare
processui facto à Iudice laico, vt possit reum remittere Curiaē seculari?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

4. *quest. 13. 20. & 77. & consil. 69. num. 63. & 69. & consil. 1131. num. 8. lib. 11.* Instabis ex Giurba loc. cit. in Constitutione Gregorij XIV. non præscribitur forma seruanda in huiusmodi cognitione, sed generaliter, & absolute dicitur, nisi cognito prius per Episcopum, an ipse verè crimina superius expressa commiserit: ergo cum huiusmodi verba generalia sint, generaliter intelligenda sunt, & consequenter in quavis cognitione verificantur, *l. cognitionem, ff. de ord. & extraord. cognit.* Præterea, sicut Iudex, cui imponitur, vt cognitionem reiciat, potest cognitionem reicere per informationem sine processu, & extrajudicialiter, ex gloss. in *l. ius alimentor. §. 1. verb. Cognitio, ff. ubi pupillus educ. deb.* ita & in casu nostro. Denique in questionibus emergentibus sufficit cognitio extrajudicialis, & non requiritur cognitio causæ plenaria, ex Bartolo, & Baldo in cit. *l. ius alimentorum*: ergo, &c.

Respondetur, quod ad hæc pateat ex dictis.

Cæterum dicendum, quod si Episcopus in iudicando errauerit, v. g. iudicauerit reum commississe crimen exceptum (& sic dederit licentiam iudici sæculari illum extrahendi) postea verò nouerit oppositum, v. g. reum commississe crimen non exceptum, teneatur illum repetere, & iudex sæcularis teneatur illum restituere, vti rectè notarunt Regens Constantius in supplicatione ad Paulum V. pro moderanda Bulla Gregorij XIV. num. 70. Anton. de Marinis *resol. quorund. cap. 175. num. 4. & seqq. Diana part. 4. tract. 1. resol. 34.* Et ratio est, quia non debet error vnus alteri præiudicare, præsertim reo, & Ecclesiæ, pro quorum fauore clamant omnia iura.

Idemque propter eandem rationem dicas, si Episcopus in iudicando errauerit in præiudicium Curie sæcularis, quod debeat similiter postea reum Curie sæculari tradere. Vnde non improbat mihi, quod Farinac. in *append. de immunit. cap. 22. num. 372.* Gambacarta *lib. 6. cap. 17. num. 3.* & Ciarlinius in *controuers. forens. cap. 116. num. 68.* docent, nempe, quod si lata fuerit sententia iudicis Ecclesiastici, quod reus gaudeat, vel non gaudeat immunitate Ecclesiæ, possit iudex sæcularis, vel reus (si habeat satis sufficiens, & rationabile fundamentum appellandi) de tali sententia appellare; quidquid in contrarium sentiant Peregrinus de *immunit. cap. 16. num. 33.* & Diana *part. 3. tract. 1. resol. 38.* & videri etiam poterit Guazzinus de *modo defend. reos, tom. 1. defens. 1. cap. 31. num. 11.* & Bonacina de *legibus, disp. 3. quest. 7. punct. 7. num. 11.*

SECTIO III.

Altera difficultas, eiusque solutio.

SUMMARIUM.

1. Constitutio Gregoriana, quod non detur appellatio, non habet locum quando est satis sufficiens, & rationabile fundamentum appellandi, & sic non tollit, siue reo, siue fisco appellationem, quando notoriè, vel satis fundatè de lata sententia iniustitia constat.

Obiicies, in Constitutione Gregorij XIV. explicite reo prohibetur appellatio, quapropter etiam prohibita implicite censetur fisco, & actori, vt seruetur in iudicio æqualitas; quæ, si seruanda non esset, potius ad rei (cuius partes sunt fauorabiles) quàm ad fisci fauorem seruari non deberet; vt contra Gambacurtam, & Bonacinam in locis *supra cit.* docent Peregrinus, Ciarlinius, & Sperellus in *decision. for.*

Ecclesiast. decis. 65. num. 2. & seqq. qui num. 7. subdit, quod in dicto casu non solum denegari debeat fisco appellatio, sed etiam recursus, & assert pro se sacre Congregationis immunitatis declarationem, die 6. Iunij 1619. & alteram die 15. Decembris 1634. & præterea responsionem Urbani VII. priuatim sibi datam (cuius iussu, inquit ipse, de Codice Gambacurtæ deleta fuit sententia contraria) & sic quod licet prohibita appellatione, non censeatur de iure communi prohibitus recursus (vt docet Minadous *decis. 27.* & alij, quos citat & sequitur Martha de *iurisdic. part. 4. centur. 1. cas. 56. num. 7.*) id tamen non procedat in terminis Constitutionis Gregorij XIV.

Respondetur ex dictis, quod Constitutio Gregoriana non procedit, quando est satis sufficiens, & rationabile fundamentum appellandi, & sic non tollit, siue reo, siue fisco appellationem, quando notoriè, vel satis fundatè de lata sententiæ iniustitia constat; quia clausula illa, *appellatione remota*, non prohibet appellationem à sententia notoriè iniusta, vt præter Doctores, quos citat, & sequitur Ciarlinius loco *supra citato, num. 69.* docet Scaccia de *appellat. lib. 3. capite 2. quest. 16. limitat. 1. num. 84.* & Gloriti in *cap. super literis, de rescript. num. 333.* Vide etiam Franciscum Zipæum *lib. 3. titul. de immunit. Ecclesiast. consil. 3.* Vbi rectè etiam docet, quod quando iudex Ecclesiasticus ex præparatorijs informationibus, inaudito reo, declarauit immunitate eum non gaudere, possit reus appellare, idque probat ex ipsa Constitutione Gregorij XIV.

DVBITATIO XLIII.

An Iudex Ecclesiasticus obligatus sit in hac cognitione stare processui factò à iudice laico, vt possit reum remittere Curie sæculari?

SECTIO I.

Dubitationis Resolutio.

SUMMARIUM.

1. Iudex Ecclesiasticus non tenetur stare processui fabricato à iudice laico, vt possit reum remittere Curie sæculari.
2. Acta instructoria vnus iudicij non probant in alio; nisi fiant inter easdem personas, in iisdem causis, & ad eundem effectum.
3. Cui delegatur alicuius causa cognitio, prout in causa immunitatis delegatur Ordinario, ei delegatur facultas sumendi probationes pro tali cognitione.
4. Probationes, quæ fiunt sine citatione partis vim non habent.
5. Iudex sæcularis cum probationes facit de delinquentis delicto, Ecclesiam, vtpotè ei non subiectam, non citat, neque ipsum delinquentem.
6. Ampliatur nostra opinio negatiua, si urgeat aliqua suspicio contra testes examinatos à iudice sæculari.
7. Episcopus si processus delinquentis factus fuerit antequam de immunitate ageretur, potest stare processui iudicis laici, non tamen tenetur.

Respondetur negatiuè. Atque ita contra Giurbam *consil. 50. n. 3. & consil. 100.* qui contrariu tenet ex Breui

Breui Clementis VIII. mox infra adducendo) docent Farinacius in append. de immunit. Eccles. cap. 22. num. 373. & in cit. consil. 76. num. 1. & 2. & cit. consil. 168. num. 26. & segg. Clar. §. fin. q. 30. vers. ultimo quero; Ambrosin. de immunit. cap. 11. num. 3. Scottia Theor. 386. Diana part. 4. tract. 1. resol. 112. Peregrin. de immunit. cap. 3. num. 2. Mar. Italia lib. 1. cap. 6. §. 1. numero 79. Ciarlinius in controuers. forens. tom. 1. cap. 10. num. 92. Egidius Trullench. in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dubit. 6. num. 4. & 5. Guazzinus tom. 1. defens. 1. cap. 30. num. 7. & 8. Riccius in praxi tom. 2. resol. 285. num. 3. & collect. 1792. Bellettus in disquis. Cleri. part. 1. tit. de favore Cler. reali. §. 4. num. 50. Vulpus in prax. cap. 3. num. 22. Naldus verb. Ecclesia, numero 32. Lezana num. 28. & Bonacina disp. 23. quest. 7. punct. 7. num. 3. Et probatur, quia acta instructoria vnius iudicii non probant in altero, nisi fiant inter easdem personas, in iisdem causis & ad eundem effectum, cap. inter delictos, §. in omnibus, de fide instrument. & docet gloss. in cap. 2. de ordine cognit. & alij Doctores, quos citat, & sequitur Farinacius in cit. consil. 168. num. 26. & segg. Sed forum seculare respicit reum, vt seculari iurisdictioni subiectum, & vt taliter pro delicto puniendum; forum verò Ecclesiasticum respicit Ecclesie immunitatem, quam defendat; quæ sunt causæ, & personæ diuersæ: ergo acta instructoria, seu probationes vnius iudicii non probant in altero. Vide Farinacium cit. consil. 76. in princip. Clarum in prax. crim. §. fin. quest. 36. numero 49. & Grammaticum consil. 42. num. 1. qui propterea generaliter docent, quod regulariter Iudex Ecclesiasticus non teneatur stare processui facto per iudicem secularem; quamvis (vti notant Naldus & Lezana locis supra cit.) possit ei stare, si prudenter credat legitime esse factum, & se posse vti eo ad suam conscientiam informandam.

Secundo probatur, quia in Constitutione Gregorij XI V. conceditur Episcopo facultas cognoscendi, an delictum sit exceptum: ergo non teneatur stare probationibus iudicis secularis. Antecedens patet ex Gregoriana, ibi: *Cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi crimina superius expressa commiserint.* Consequentia probatur, quia cui delegatur alicuius causæ cognitio, eidem delegatur facultas sumendi probationes pro tali cognitione, sicuti probat Farinacius dict. consil. 76. & Ambrosin. dict. num. 3. & patet ex cap. præterea, de offic. delegat. & ibi gloss. verb. delegatus, & l. ubi falsi, & ibi gloss. verb. Relationes, Cod. de falsis. Quapropter poterit Episcopus sumere suas probationes, & non stare probationibus iudicis secularis, præcipue cum agatur de proprio interesse.

Tertio probatur, quia probationes, quæ sunt sine citatione partis, vim non habent, cap. de testibus; sed iudex secularis, cum probationes facit de delinquentis delicto, Ecclesiam (vt potè sibi non subiectam non citat, quinimò sæpè neque citat ipsum delinquentem:) ergo contra immunitatem Ecclesie vim non habent.

Et hæc nostra negatiua responsio multò magis locum habet, si vrgeret (quod & concedit Giurba in loco supra cit.) aliqua suspicio contra testes examinatos à iudice seculari, vel dubius aliquo alio modo esset Episcopus (quod ferè semper contingit; cum iudex laicus aduersarium agat, & nimio affectu vltimum protrahatur) quia tunc certum est, quod ille non teneatur stare processui facto à iudice seculari, sed poterit, quin & debebit, maiorem diligentiam adhibere; curando scilicet examinari testes priores diligentius, vel alios de nouo pro informatione suæ conscientie examinari, sicuti rectè tradit, & testatur de praxi Curie Archiepiscopalis Neapolitanæ

Thom. Delbene de Immunit. Eccl. Pars II.

Anton. Nouarius in summa Bullarium, tit. de immunit. Eccles. num. 81.

Quapropter aduertat Episcopus, an formatus processus à iudice seculari, formatus ille sit, antequam delinquens ad Ecclesiam confugerit, & sic antequam de immunitate tractaretur, vel postquam delinquens ad Ecclesiam confugerit, & sic causa immunitatis tractari cœperit: nam si formatus sit ante, quamvis Episcopus tunc non sit obligatus illi stare, ob rationes iam dictas; debet tamen quamprimum poterit, testes illos apud se examinare (si examinare velit, ac processui à iudice seculari facto non stare; quod regulariter esse debet, & delinquentem iudici seculari remittere, quia tunc non apparet suspicio falsi in processu; at si formatus sit, post suspensionem non leuem falsitatis, tunc processus valebit, eo quod formatus fuerit in causa propria, seu in defensionem proprii iuris, & diminutionem iurisdictionis Ecclesiasticæ. Vide quæ dicebantur cap. 10. dubit. 1. sect. 1. in fin. & dubit. 9. per tot. Vide etiam Farinacium in append. de immunit. cap. ult. num. 375. & consil. 76. & 79. lib. 1. num. 1. & 2. & consil. 168. lib. 2. num. 26. & segg. Bonacina, Naldus, & Lezanam in locis supra cit.

SECTIO II.

Difficultates in oppositum, earumque solutiones.

SUMMARIUM.

1. Examinantur clausula Brevis Clementis VIII. ad Archiepiscopum Panormitanum directi.
2. Clausula (sic tibi summarie, simpliciter, extraiudicialiter, & quantum pro tua conscientia informatione suffi ere tibi videbitur) videtur importare non plenam probationem.
3. Quod alicuius conscientia committitur, non dicitur commissio indicialis, sed conscientialis.
4. Commissio est exequenda secundum veritatem, & satis est si iure gentium sustineatur.
5. Ex dicta commissione suffi. it qualitercumque inquire, ac probationem ipsi soli, cui est demandata, concludere.
6. Talis Commissarius habet iure ordinario solum Deum cognitorem, & iudicem.
7. Item sequi potest animi sui proprium motum sola naturali equitate moderatum.
8. Item potest Episcopus vti iudicis laici processu, qui in foro Ecclesiastico facit probationem extraiudicalem.
9. Ecclesiastica, & civilis iurisdiclio adinuicem iurare se debent, cum sint adinuicem confederata.
10. Bannitus à iudice seculari, pro Bannito etiam habetur ab Ecclesiastico.
11. Ex Breui Clementis VIII. citato non sequitur quod Episcopus teneatur stare processui facto à iudice seculari, sed tantum quod tollatur longinquitas temporis.
12. Clausula dicti Brevis (summarie, simpliciter, & extraiudicialiter, seu de plano) non excludunt concludentem probationem, sed excludunt solum modum probandi.
13. In casu dicti Brevis constabit de delicto, & tantum difficultas erat, an illi gauderem Ecclesia immunitate, & ideo Clemens VIII. ne videretur approbare processum iudicis secularis, dispensauit in illo casu particulari.

I 2

14 Quod

- 14 Quod statuitur à Principe per epistolam, ad consultationem priuatorum, publici iuris vim obtinet, secus quando fuit pro vno casu laicali tantum.
- 15 Tale Breue, tanquam lex localis, & particularis, non ligat extra illum locum, & illum casum.
- 16 Regula (quod Principi placuit, legis habet vigorem) proedit quando Princeps habuit animum legem condendi, & facit publicare.
- 17 Tale Breue Clementis VIII. licet esset generale, & generaliter obligaret, non tollit tamen constitutionem Gregorianam, quæ requirit concludentem probationem.
- 18 Clausula (summarie, & extrajudicialiter, & quantum pro sua conscientia informatione sufficere videbitur) tollunt solum iuris solennitates, & apices, non item veras, plenas, & concludentes probationes.
- 19 Clausula recensita non efficiunt, quod ius gentium, vel natura seruandum non sit.
- 20 Episcopus pro informatione sua conscientia non potest quid sufficienter habere, nisi habeat probationem veram, plenam, & concludentem.
- 1 Obiicies Breue Clementis VIII. ad Archiepiscopum Panormitanum die 6. Febr. 1597. directum in illis verbis: Sit tibi summarie, simpliciter, extrajudicialiter, & quantum pro tua conscientia informatione sufficere tibi videbitur, (quod Breue ad litteram refert Genuesis in prax. Archiepiscop. cap. 94. & Farinac. consil. 168. lib. 2. addit. 1.) Ergo cum summus Pontifex ex dictis verbis contentus sit extrajudiciali probatione (quod insinuat non solum dictio illa extrajudicialiter, sed etiam clausula: Quantum pro tua conscientia informatione, &c. quia cum quid alicuius conscientia committitur, non dicitur commissio iudicialis, sed conscientialis. Baldus in l. certum, Cod. unde leg. num. 7. in fin. Roman. num. 25. Franch. in cap. statutum, §. assessorem, de rescript. in 6. num. 6. Et propterea non requiritur cognitio. Lopus alleg. 60. n. 4.
- 2 Est enim commissio exequenda secundum veritatem, & satis est, si iure gentium sustineatur. Baldus in l. 2. Cod. de fideicommiss. num. 2. Franch. loco supra cit. Et sufficit qualitercumque inquirere, ac probationem ipsi soli, cui est demandata, concludere. Franch. ibid.
- 3 & Felin. in cap. 1. de constitut. num. 51. prope fin. Et habet is iure ordinario solum Deum cognitorem, & iudicem: gloss. in cit. §. assessorem, verb. relinquitur, Franch. num. 6. & Abb. in cap. super his, de accusat. num. 16. Et tandem sequi potest animi sui proprium motum sola naturali æquitate moderatum: Mandosius addit. ult. ad allegat. 15. Lapi.) poterit Episcopus Iudicis laici processui (qui in foro Ecclesiastico facit probationem extrajudicialem, Dec. in cap. ut si clerici, num. 90. de iudiciis, & merito; quia Ecclesiastica, & civilis iurisdicatio adinuicem iuuare se debent, cum sint adinuicem confederata: quapropter Bannitus à iudice seculari, pro Bannito etiam habetur ab Ecclesiastico, vt bene per Alciatum in cap. 1. n. 121. de offic. ordin.) stare, & acquiescere, maxime cum ex personarum grauitate fides videatur testibus adhibenda; vel si ex tempore exceptarum probationum videatur suspicio tolli; vel si exhibeatur processus, immunitatis controuersia nondum orta, formatus; quamvis secus, si formatus fuerit postea, vt supra cum Farinacio dicebamus.
- 4 Respondetur, ex dictis verbis Breuis Clementis VIII. non sequi, quod Episcopus teneatur stare processui facto à iudice seculari; neque sequi (vt recte ex multis notauit Nouarius in loco supra cit.) quod tollatur substantia probationis, sed tantum quod tollatur

longinquitas temporis, cum ly summarie, simpliciter, & extrajudicialiter, seu de plano, non excludant concludentem probationem, sed excludant solum modum probandi.

Adde quod in tali casu Breuis Clementis VIII. 13 planè constabat de delicto, & tantum difficultas erat, an illi gauderent Ecclesiæ immunitate, & idè Clementis VIII. ne videretur approbare processum Iudicis secularis, dispensauit in illo casu particulari, vt Archiepiscopus Panormitanus traderet aliquos ex illis reos Curie seculari cum summaria, simplici, & extrajudiciali informatione tantum; quod ad alios casus, vt faciat regulam generalem, trahendum non est: satis enim ex ipso contextu dignoscitur, dictum Breue datum fuisse in illa causa Panormitana ex rationabilibus causis animum Papæ mouentibus, & cum clausulis derogatoriis ad Constitutionem Gregorianam, & alias iuris Constitutiones; præsertim quia tractabatur de crimine assassini, quod propter grauitatem, & enormitatem suam habet multa specialia, iuxta textum in cap. 1. de homicid. in 6. & ex communi tradit Mascardus concl. 137.

Instabis, ita declarauit sacra Congregatio; ergo, sic Giurba loco supra cit.

Respondetur dupliciter etiam, vt supra; præsertim quia talis ordo emanauit à Pontifice, media Congregatione ipsum representante.

Urgebis; quod statuit Princeps per epistolam ad consultationem priuatorum, publici iuris vim obtinet, l. 1. ff. de consuet. Princip. & §. sed & quod Principi placuit, Institut. de iur. natur. gen. & civil. & docet gloss. in cap. ex tua, de fil. presbyt. Abb. in cap. Pastoralis, de except. num. 1. not. 1. & Felin. in cap. 1. de consil. num. 17 ergo dictum Breue, seu Epistola Pontificis dicenda est, quod sit edita, tanquam lex ad declarationem Bullæ Gregorij XI V.

Respondetur cum Ciarrinio in cit. cap. 10. num. 92. & seqq. nego consequentiam; quia dictum Breue fuit locale pro ciuitate Panormi; & pro illo casu tantum; nec voluit Pontifex in illo Breui concedere legem generalem; quod apparet, quia dirigitur ad Archiepiscopum illius Ciuitatis, vt videre est ex inscriptione, quæ ait: Venerabili fratri Archiepiscopo Panormi Clementis VIII. Et sic solum deservit pro illo casu, pro quo Papa fuit requisitus, vt colligitur ex illis verbis: Supplicando, vt quid in huiusmodi causa faciendum sit, tibi prescribere dignemur. Quapropter tale Breue, tanquam lex localis, & particularis non ligat extra illum locum, & illum casum, vt rectè dixit Farinacius in append. de immunit. cap. 22. num. 351. & Peregrin. cap. 11. num. 10. & seqq. quia si voluisset Pontifex per illud facere legem generalem, fecisset illud Romæ publicari, sicuti fieri solet, cum publicatio sit de essentia legis. Et quamvis quod placet Principi, etiam per epistolam, vim legis habeat (vt dixit etiam Mar. Ital. de immunit. lib. 1. cap. 5. §. 4. num. 6.) id tamen procedit, quando Princeps habuit animum legem condendi, & fecit publicari, vt modo supra dicebam, & docent Farinac. & Peregrin. in locis supra cit. Adde, quod licet tale Breue Clementis VIII. sit generale, & generaliter obliget, non tamen (vt supra etiam dicebam) tollit Constitutionem Gregorij XI V. quæ requirit veram, & concludentem probationem, & sic non efficit, quin necessaria sit plena probatio: licet enim in dicto Breui dicatur, posse Episcopum se informare summarie, & extrajudicialiter, & quantum pro sua conscientia informatione sufficere videbitur, hæc tamen verba tollunt solum iuris solennitates, & apices, non item veras, plenas, & concludentes probationes; ita vt ius gentium, vel naturæ (iuxta quod in ore duorum vel trium stat omne verbum, l. ubi numerus

numerus, ff. de testibus, & cap. si quis testes, §. ubi x. quest. 3. & tradunt Cephal. consil. 651. Mascard. de probat. in prefat. quest. 5. num. 117. & Farinac. quest. 63. num. 232.) seruandum non sit, sicuti rectè docent etiam Ozalscus decis. 1. num. 1. & 15. Farinac. quest. 25. num. 68. & cit. 9. 63. num. 13. & Martha claus. 160. numero 10. part. 1. Quapropter non poterit Episcopus pro informatione suæ conscientiæ quid sufficienter habere, nisi habeat probationem veram, plenam, & concludentem, quam omnia iura requirunt; præsertim, si tractetur de præiudicio rei, & Ecclesiæ, quorum partes sunt valde fauorabiles.

DUBITATIO XLIV.

An iudex Ecclesiasticus obligatus sit in hac cognitione citare reum, vt possit illum remittere Curie seculari.

SECTIO I.

Dubitationis Resolutio.

SUMMARIUM.

- 1 Index Ecclesiasticus cum hac cognitione tenetur citare Ecclesiam, seu nomine Ecclesiæ defendere, cum directè de eius præiudicio agatur.
- 2 Item tenetur citare reum, cum non possit inuitus ab Ecclesia à Prælato Ecclesiastico extrahi.
- 3 Reus potest extrahenti resistere, & extractus iam agere vt Ecclesiæ restituatur.
- 4 Iudex Ecclesiasticus sine citatione delinquentis non potest illum remittere Curie seculari.
- 5 Quotiescumque directè agitur de præiudicio alicuius, agitur de præiudicio eiusdem ad ipsum condemnandum.

Dixi, an obligatus sit citare reum; quia quod obligatus sit citare Ecclesiam, seu nomine Ecclesiæ promotorem fiscales, ad quem spectat iura Ecclesiæ defendere, indubitatum videtur: cum directè de eius præiudicio agatur, de vnoquoque, ff. de re iudic. a. l. nam ita Diuus, ff. de adoption. & cap. 2. de testibus, & docet Farinac. in consil. 168. num. 42. & in append. de immunit. cap. ult. in fin. Hoc posito.

- 2 Respondetur affirmatiuè. Atque ita contra Remigium Gonny de immunit. Eccles. q. 2. num. 3. & 11. Gratianum disp. 596. num. 26. Giurham consil. 100. de immunit. num. 28. & Antonium Nouarium in summa Bullarum, tit. de immunitat. Eccles. num. 96. (vbi pro sua sententia testatur de praxi Curie Archiepiscopalis Neapolitanæ, & citat Merlinum in controuersis forensibus) docent Doctores, quos citat, & sequitur Farinacius in appendice, cap. 22. num. 376. & consil. 168. num. 48. Petegrin. de immunit. Eccles. cap. 3. num. 9. & segg. Bonac. tom. 2. disp. 3. quest. 7. punct. 7. numero 10. & Diana part. 4. tract. 1. resol. 112. & probatur; quia priuilegium immunitatis, quamvis competat primo, & per se Ecclesiæ, competit tamen immediatè, directè, & per se etiam delinquenti; cum ipse non possit inuitus ex Ecclesia à Prælato Ecclesiastico extrahi (vt tradit etiam Gambacurta lib. 4. cap. 22. numero 16.) quin & possit (et supra dubi. 24. sect. 1. dubitat. 26. & 32. dicebam) extrahenti resistere, & extractus iam agere, vt Ecclesiæ restituatur; ergo sine citatione delinquentis non potest Iudex Thom. Delbene de Immunit. Eccl. Pars II.

Ecclesiasticus illum remittere Curie seculari. Consequentia probatur; quia quotiescumque directè agitur de præiudicio alicuius, requiritur citatio eiusdem ad ipsum condemnandum.

SECTIO II.

Difficultates in oppositum, earumque solutiones.

SUMMARIUM.

- 1 Priuilegium immunitatis competit primo & per se Ecclesiæ, necnon competi immediatè, directè, & per se etiam reo.
- 2 Priuilegium immunitatis potius dicendum est competere reo, quam Ecclesiæ, cum Ecclesiæ inuitus et concedatur, & homo capax sit beneficii.
- 3 Citatio delinquentis non videtur necessaria quotiescumque probatio fit ad iudicis instructionem, si finis in causis Tertio non præiudicantibus, alias secus.
- 4 In crimine assassinij ad excommunicationem, depositionem, vel aliam censuram ferendam requiritur etiam partis citatio.
- 5 In crimine assassinij ad ferendam sententiam sufficient probabilia argumenta; qua tamen in casu immunitatis non sufficiunt.
- 6 Ferre sententiam sine Partis citatione est contra ius naturale, nec potest consuetudine aliqua firmari.
- 7 Reus si sponte compareat non citatus, petatque audiri pro sui iuris defensione, audire debet, & quorsumque audiat, opponere potest sententiæ Ordinarij declarantis immunitatem ipsi non competere.

Obiicies, priuilegium immunitatis competit primo, & per se Ecclesiæ; reo autem competit tantum in consequentiam (vt docent Couar. 2. var. capite 20. num. 11. & Decian. tract. crimin. lib. 6. cap. 29. num. 1. in fine.) Ergo non est, cur citetur reus. Consequentia probatur, quia quotiescumque priuilegium alicui competit in consequentiam, & non immediatè, seu directè, & per se, non debet is citari, sed sufficit, si citetur princepsalis.

Respondetur, concedo priorem partem antecedentis, quod scilicet priuilegium immunitatis competit primo, & per se Ecclesiæ; at nego posteriorem partem illius, quod scilicet competat tantum delinquenti in consequentiam, & non immediatè, directè, & per se etiam, vt supra dicebam. Quinimò dicendum est, quod potius competat delinquenti, intuitu tamen Ecclesiæ; cum non Ecclesia, quæ est res inanimata, capax beneficii sit, sed potius homo, in honorem tamen, & reuerentiam Ecclesiæ.

Obiicies secundò, probatio, an delictum sit exceptum, sit ad instructionem Iudicis (cum ipsi tantum id constare debeat, vt possit delinquentem remittere Curie seculari, & patet ex Constitutione Gregorij XIV. ibi: Cognito prius per Episcopum, an vere supradicta crimina commiserint: & quia nullibi ab illa requiritur, vt parti etiam constet.) Ergo non est, cur delinquens citetur. Consequentia probatur, quia quotiescumque probatio fit ad iudicis instructionem, non videtur necessaria citatio delinquentis: ita Innocent. Bart. & Bald. quos citat Farinacius in cit. consil. 168. num. 48.

Respondetur, concedo antecedens; at nego consequentiam: & ad probationem respondeo distinguendo:

I 3 guendo: